

*Doc. 48 (Robertus etc. iustitiariis
vicariis et officialibus aliis
Basilicate nec non magistris...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 48 (Robertus etc. iustitiariis
vicariis et officialibus aliis
Basilicate nec non magistris...)*

1312-02-17

Robertus etc. iustitiariis vicariis et officialibus aliis Basilicate nec non magistris et custodibus defensarum et forestarum iustitiariatus ipsius ac foresteriis defensarum forestarum Sancti Gervasii presentibus et futuris fidelibus suis etc.

Olim cum ducali titulo et paterna vice regia fungebamur in regno per patentes licteras scripsisse vobis asserimus in serie per omnia subsequenti. Robertus primogenitus illustris Ierusalem et Sicilie regis dux Calabrie ac eius in regno Sicilie vicarius generalis. Iustitiariis vicariis et officialibus aliis Basilicate nec non magistris et custodibus defensarum et forestarum iustitiariatus ipsius ac foresteriis defensarum et forestarum Sancti Gervasii presentibus et futuris devotis suis salutem et dilectionem sinceram. Inter alia capitula que pro bono statu regni fidelium clare memorie dominus avus noster hactenus edidit quoddam continetur capitulum tenoris et continencie subsequentis magistri forestarum et defensarum ultra defensarum et forestarum antiquos terminos homines et animalia non capiant nec ultra forestas ipsas officium suum extendant nec faciant forestarios burgenses nec alios divites homines locorum set homines habiles et aptos et ad hoc congruentes de vicinis locis et non in maiori numero quam expediat nec homines occasione quod canes habeant vel instrumenta quelibet ad venandum vel ligna incisa extra defensam vel cornua seu pedes et pelles cervorum vel aliorum animalium silvestrium capiant turbent in aliquo vel molestent set si quos suspectos de venatione habent denuntient iustitiariis qui inquisita veritate ad debitam penam procedant et si iustitiarius dubitaverit de processu eo quod sibi non constiterit referat

nobis. Si vero magistri forestarum aliquem in venando deprehenderint ipsum capiant de persona et statim assignent iustituario puniendum. Et nichilominus in omni casu sive denunciaverint iusticiario aliquem de venatione suspectum sive assignaverint eidem aliquem ut dictum est in venando deprehensum significant nobis totum processum et dimictant libere homines habentes terras et possessiones in defensis et circa defensas quas antiquitus laborare et colere consueverunt laborare et colere ipsas per se vel per alios sicut olim fecerunt. Et pro officitura vel defensatico pro predictis terris vel possessionibus propriis aliquid non exigant vel recipiant ab eisdem nec inquisitionem per se vel alios de venatoribus faciant set iustitiariis regionum denuncient ut est dictum et si contra fecerint vice qualibet qua venerint contra quodlibet predictorum restitutis ablatis et risarcitis dampnis eis qui dampna vel oblationes sunt passi predicti magistri fores tarum amoti ab offariis sina spe aliqua redeundi pro nostro arbitrio puniantur et eorum subofficiales post restituoionem et emendationem dampnorum per annum unum carceri recludantur. Item boves sine campanis possint sumere pascua in defensis dum tamen custodes arma non habeant neque canes et ad maiorem cautelam ne fraus aliqua commictatur et ne novas defensas nec forestas predicti magistri forestarii facere possint. Iustitarii regionum habeant forestas et defensas et terras eorum distinctas in scriptis sicut magistri forestarum habent a curia ut possint melius scire et invenire si magistri forestarum manus suas extendant extra terminos constitutos et predicti iustitarii si defensas novas factas alias videlicet quam que eis per curiam designantur invenerint eas restituant in pristinum statum. Nobis itaque pro parte hominum Cervaricii regiorum fidelium

devotorum nostrorum nuper exposito cum querela quod vos eos in multis contra formam dicti capituli molestatis intolerabiliter et gravatis, petitoque per eos ut providere super hoc de oportuno remedio dignaremur. Quia grave ferimus et plectibile reputamus ut que pro tranquillo statu fidelium sunt statuta per vos presumptione temeraria violantur devotioni vestro precipimus et expresse mandamus sub pena in dicto capitulo comprehensa ac alia nostro arbitrio infligenda, quatenus forma dicti capituli diligenter actenta et efficaciter observata dictos homines in premiseis contra effectum eius molestare gravare impetere vel turbare de cetero nullatenus preso, matis, sicut dictam penam cupitis evitare. Presentes autem licteras post oportunam inspectionem earum restitui volumus presentanti. Apud dictos homines pro cautela servandas et efficaciter in antea valituras. Data Melfie per Nicolaum Fricziam de Ravello locumtenentum prothonotarii regni Sicilie anno domini MCCCVIII die XVI maii quinte indictionis. Nunc ergo dictis hominibus Cervaricii sub humili supplicatione petentibus per nostras vobis regias licteras inde scribi, nos annuentes in hoc eorum huiusmodi supplicationi devote volumus et fidelitati vestre mandamus expresse ut, prescriptis licteris originalibus scilicet diligenter. Inspectis, eas iuxta quod continent efficaciter observetis. Ita quod scribi vobis ulterius de contrario non sit opus presentibus post oportunam inspectionem earum remanentibus presentanti efficaciter in antea valituris.

Data Neapoli per Iacobum de Capua Iuris Civilis professorem prothonotarium regni Sicilie in absentia Bartholomei de Capua militis patris eius logothete et prothonotarii dicti regni, anno domini MCCCXII die

XVII februarii X indictionis regnorum nostrorum anno
III.